DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

CORDE.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. ANTONII HULSII, S. Theol. D.
Ejuſdemque facultatis ut & Linguæ S. in Academia Lugd.-Batavâ Profeſſoris, & Collegii Theol. PP. DD. Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ord. Regentis.

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ facultatis MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

CAROLUS MORTON, ANGLUS.

Ad diem 27 Aprilis, loco horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXIII.

27
1185.g.16
27

Charissimo, Clarissimoque Viro,

DD. CAROLO MORTON

L. A. M. Verbi Dei Præconi admodum reverendo, patruo ſuo, patronoque benigniſſimo, ſemet theſeſque, haſce, dicat, dedicatque:

UT ETIAM

Nobiliſſimo

DD. RICHARDO TORLESS

Med. Doct. experientiſſimo, *Collegii* Medici Londinenſis Socio celeberrimo, fautori ſuo benevolo, & de ſe optimè merito.

NEC NON

Viro affatìm Reverendo

DD. HENRICO HICKMAN

SS. T. B. Eccleſiæ Anglo-Leydenſis, Paſtori fideliſſimo, & amico ſuo integerrimo.

Haſce theſes ſacras eſſe, vult

CAROLUS MORTON, ANGLUS.
Auctor.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CORDE.

THESIS I.

Animal reverà inter omnia alia creata multis paraſangis eminet; de quo, plerique artis proceres, nec non emunctiores, argutias ſuas haud incaſsùm exercuêre: indolum etenim acutie, ſolertiâque inexplebili, uſque ad penitiora naturæ magnalia auſpicatò admodùm, rimati ſunt: Veruntamen ob immenſam hujus ſubjecti amplitudinem, ſuppeditanda plurima ſuperſunt.

De Corde itaque mihi in propatulo eſt quædam proferre.

II.

Cor (quod inter alias partes primatum obtinet) tripliciter,

ſpeculetur. 1. Quoad natalitias. 2. Quoad ſtructuram. 3. Quoad uſum. 1. Quod attinet primordia.

Cor (& ſubinde animal) à fermento protoplaſtico ſoboleſcit. Quod fermentum, eſt ſeminis prolifici energia, ſepoſita, & à glandulâ quâdam uteri recepta. Ubi (calore incubante) ad exercitium ſuæ indolis ſuſcitatur: quapropter materiam habilem (ſcil. ſanguinem floridum, per vaſa glandulæ continuò fluentem) in ſuam idiocraſian tranſmutandam aggreditur.

Ubì fermentum hoc introit, Cordi ſtruendo incumbit, à quo tandem, quaſi à radice germina ſuboriuntur; Aorta ſc. & vena cava, quæ ramificatione multiplici corporis modulum adumbrant. Quinimò ramuli, in acinorum racemos ſparsìm fructificant; quorum plurium conglomeratione hìc & illìc, viſcus unum & aliud conſtituitur. Lympha ex hiſce ſecreta in ſtamen oſſium, penſum muſculorum, telamque inteſtinorum cedit. Dein ſpiritibus generatis, cor in motum ſuſcitatur, & animal perfectum eſt.

III.

Animalia inter ſemet ſpecificè diſtinguuntur, (ut etiam vegetabilia & mineralia) prout fermentum plaſticum, idiocraſian diverſam obtinet. Fermentum itaque eſt congeries particularum more uno modificatarum; cujus indoles individua ab earum motu, Figura, Quantitate, & Numero determinatur.

Si calor fermentum fovens, ſit intenſior vel remiſſior, tum fermentum tardiùs vel celeriùs operatur. Hujus motus promovetur vel retardatur, prout particulæ fermentativæ ad motum magìs vel minùs ſunt diſpoſitæ, ex. gr.

Si particulæ ſint majores, tardè *ἀκμὴν* aſſequuntur tardè item declinant: unde corpora diutiùs durant.

Sì ſint minores, fermentum citò fit *ἀκμαῖον* citò langueſcens: corpuſcula enim minora ad motum perniciorem magìs propenſa: Ex quibus corpus, brevì corrumpendum, conflatur. Si harum particularum congeries ſit magna, quod inde ſoboleſcit, neceſsùm magnæ molis erit: & è contrà, quo pauciores hæ particulæ eò minor proles oriunda. Quemadmodum ſi pulveris pyrii magna quantitas ſit accenſa, longè lateque fit exploſio: ſin minor, multò minùs.

Si particulæ ſint anguloſæ & hædricæ tum corpus inde enatum, eſt ſolidum, durum, denſum; quia hæ figuræ ob propiorem juxtapoſitionem coalitu tenaciori ſibi invicem adhærent: hæ quoque particulæ cum ſint angulis donatæ, ad motum ineptiores fiunt: Corpora itaque ex hiſce producta, tardè accreſcunt, tardè ſolvuntur. ut metalla, lapides &c.

Si ſint globuloſæ, tum corpus, molle & fluidum: quia globuli ſe invicem in puncto tangentes non tàm intimè coaleſcunt ac hædrita corpuſcula quæ mutuis ſuperficiebus tangunt. Omnia itidèm corpuſcula fermentativa quatenùs hâc vel illâ figurâ donantur, eatenùs productum ſub hâc vel illâ formâ moliuntur. ex. gr. Si globuli, coni, cylindri &c. è manu in planum projiciantur, quælibet harum figurarum ſpecies, divaricationem ſingularem affectat.

Globuli etenim lineâ rectâ procedunt, conus in lineam circularem proclivis. Cylindrus itidèm, elipſis, ovale, parabola, hyperbola lineam cuique peculiarem deſcribunt.

Omnium itaque naturalium productionum diverſitas, in haſce forſan cauſas refundatur. Quæ à globuloſis particulis oriuntur, longitudinem affectant; ut Iuncus, Arundo &c. Quæ à conicis, latitudinem: ut arbores paſſis ramis explicatæ: quam, inſupèr, formam coni plures è manu in planum ſimul projecti, optimè delineant. Sed de hiſce ſat, ſuperque. Jam de Cordis ſtructura paulò agemus.

IV.

Cor eſt muſculus firmus & compactus cujus fibræ parallelè currunt à baſi uſque ad mucronem ubi ſe invicem decuſſantes, à mucrone ad baſin redeunt, ut notavit illuſtriſſimus ille vir DD. *Lower.*

Omnibus itaque in baſi terminantibus, membrana illa cartilaginea (uti in Cordis baſi videre eſt.) concinnatur. Quinimo, baſin, nervus à pari vago propagatus, introit; cujus fibrillæ multiplici divaricatione per fibras muſcnlares, ſpiritns animales toti cordi communicant; unde cor in motum excitatur. Jam autèm cordis motus & actiones fuſiùs ponſiteamus.

V.

Motûs cordis tres ſunt. Syſtole, Diaſtole, & Palpitatio.

Syſtole eſt acceſſio mucronis ad baſin, laterumque ad ſe invicem ab impulſu ſpirituûm ad ſanguinem circulandum ſolita.

Diaſtole eſt cordis receſſio à contractione ad amplitudinem naturalem. Cùm enim Spiritus nixum ſuum remittant; Cor ob denſitatem ſuæ ſubſtantiæ, ad amplitudinem naturalem cum elatere reſtituitur, & exinde ſanguis de novo inhauritur in illius locum, qui Syſtole expulſus fuit. Diaſtole ea propter æquè neceſſaria eſt ac Syſtole in ſanguinis Circulatione molienda. Ex his duobus motibus, Cordis motus pendulus reſultat, ſc. Palpitatio. Aorta quippè retro curvè deſcendens dum ſanguine Syſtole impulſo, turgeſcat, cor verſus ſternum propellit & ictibus alternatis pulſat. Hactenus de Cordis motibus ipſis: Jam verò de motus modo.

VI.

Cor cum ſit Muſculus actiones ſuas modo omninò muſculari molitur. Ad hoc itaque enucleandum, motum muſculorum in genere quodammodò perpendimus.

Muſculus definitur; Compages ex fibris ſolidis parallelè concinnatis, tunicâ membranaceâ obducta. Omnes fibræ muſculares in medio rubent, quippe ſanguine viſcido obducuntur; at termino utroque exeunt albicantes quia ſanguis denſâ earum coarctatione è tendine excluſus eſt. Fibra quælibet eſt, Chorda Denſa, ſolidaque cujus pedunculi altis radicibus ſunt oſſibus inſerti; quapropter magna vis eas nec diſrumpit nec averuncat. Locus etiam quo fibræ oſſi annectuntur eò rugoſior & aſperior eſt, quò fibræ plures inſeruntur, & quò validior actio eſt à muſculo molienda: ut in prælectionibus oſteologicis ſæpius monſtravit; lucidum illud orbis anatomici ſidus Carolus Drelincurtius, fibris etenim plurimis eorum quilibet dilatatur & ſuperficies fit rugoſa.

VII.

Ad motum muſculorum intelligendum nervus adeſt: Qui eſt compages filamentorum cavorum communi Vaginâ Concluſorum, per

quorum interſtitia Lympha continuò tranſcolata ad nervulos hoſce irrigandos lubricandoſque, adeoque ad motum promptiores reddendos maximè ancillatur. Ubi Nervus ingreditur muſculum, in plurima filamenta pullulat, quæ per totam compagem vagantia, variis mæandris gyriſque circa fibrillas muſculares ſerpunt. Quæ filamenta in fibrarum extricatione conſpicua ſunt, per totum muſculum, ſed juxta tendines percipue; ubi plexu quàm multiplici fibris contexuntur. Et hoc rationi conſonum eſt, fila enim nervea per liberius ventris ſpatium promptè perreptant verſus tendinem, ubi fibrarum compactarum anguſtiis obliquantur, & circa fibras ſpirali modo complicantur; ad tendinem verò ſoboleſcentes in denſâ ejuſdem ſubſtantiâ figuntur, & obturantur. Spiritibus dein, in hæc filamenta cava ab origine impulſis, hi ſyphunculi extremitatibus conſtricti ſtatim turgeſcunt; unde fibræ carnoſæ circâ quas nervuli convoluti ſunt, coarctantur, & Lympha quæ per totum muſculum fluida eſt, è loco anguſtato ad ſpatium liberius propellitur. Jam ſi muſculi terminus uterque, ſimul & ſemel conſtringatur; Lympha totius muſculi ad ventrem urgetur; ventreque tumeſcente fibræ incurvantur, & à ſe invicem recedunt, muſculus abbreviatur, tendines oſſaque quibus inſeruntur, approximantur & pondera egregia moventur. Spiritibus etiam in hos Syphunculos obturatos determinatis, ſine eorundem maximo diſpendio labores corporis robuſtos diutinoſque perferre poſſumus.

Porrò ſi ſpiritus, hiſce ſyphunculis non contineantur nec ad muſculum his modis dirigantur, corporibus craſſis movendis incaſſum laborabunt, cum verò organis adæquatis determinentur, energiâ mirandâ pollent, Hæc etiam efficacia ſpirituûm duplici rationi nititur.

1. Nervuli circa fibras muſculares convoluti & in Spiras acti, obtinent rationem cochleæ fœmineæ, quæ vi tantillâ in bacillum acta egregiè comprimit & ſulcos exarat. Hujus inſuper ſpiralis contorſionis æmula, eſt planta volubilis, quæ helicali ſuâ germinatione circa ſtipites aut arbores, nervuli contortum circâ faſciculum fibrarum muſcularium aptè exprimit.

Vimen hoc ex ſe reverâ imbecille eſt; verum enim verò cùm ſæpiùs circâ arboris truncum ſit convolutum, amplexibus adeo tenacibus ipſum conſtringit, ut arbor ultra hæc cingula neſciat extendi: quapropter foveis tandem ſulcatur: pari ratio-

ne Syphunculus, nerveus circà faſſiculum fibrarum contortus, leviſſimo Spirituûm impulſu inflatus, fibras incluſas egregia vi conſtringit. Ab hâc itaque determinatione ſpirali ſpiritus (qui ſunt tenuiſſimi ideòque ex ſe inefficaces) pollere quàm plurimùm videntur.

VIII.

2. Muſculus obtinet rationem vectis mechanici (nam Chorda quælibet dum tenſa, binis levatoribus æquipollet: quod diagrammatum apparatu demonſtrari poſſit.) Qui levatores, quo craſſiores & longiores, eò potentiores, ſed motu tardiores. Quantò verò graciliores & breviores; tantò debiliores & celeriores. Quod jam dicitur de levatoribus, muſculis etiam ad amuſſim correſpondet.

Muſculi enim crurales ſunt craſſi, longi, validi, tardi; Muſculi oculorum ſunt graciles, breves, debiles, celeres. Muſculi ad actionem robuſtam deſtinati, ſunt longi vel craſſi, qui ad actionem celerem inſtituuntur ſunt graciles & breves. His itaque perpenſis, liquidò conſtat quòd vis ſpirituum leviuſcula, modis his mechanicis multoperè augeatur. Unde muſculorum actiones validæ reſultant. Huc uſque de Muſculis in genere; Jam verò Cordis ſolius actiones ſpeculemur.

IX.

Quàm Primùm nervus, Cordis baſin ingreditur per totam ejus ſubſtantiam divaricatur: omnes ſubindè nervuli in mucrone coeuntes ibidèm loci plexu multiplici complicantur, & tandem redeunt ad baſin ubi cartilagini inſeruntur. Spiritus itaque influentes maximoperè agunt in baſin & mucronem: partes ſc. eaſdem denſando, unde lymphâ à mucrone & à baſi ſimul propulſâ, cor per medietates intumeſcit, tùm externè, cùm internè. Interior etenim parietum tumeſcentium ſuperficies ſepimento approximatur; & ſepimentum turgidum parietibus utrinque accedit: undè cavitates cordis anguſtantur, & ſanguis propellitur. Ita molitur Syſtole. Spiritibus verò nixum ſuum remittentibus, lympha ad baſin & mucronem recedit, Cor quoque ad naturalem figuram reſtituitur. Hæc dilatatio ſeu Diaſtole ab elatere Cordis cauſa eſt, ut Sy-

ſtolæ

ſyſtole à ſpirituum influxu: his quoque motibus duobus jugiter alternatis ſanguinis circulatio peragitur.

Sed hujus impulſûs diutini alternati & æquabilis rationem ipſiſſimam reddere, hic labor hoc opus eſt.

Sin, liceat veriſimile proponi, quadantenùs ſaxo, idque, ut motûs hujus alternatio, & continuatio, rationi eluceſcant.

X.

Ad alternationem hujus motûs conciliandam, Cor ſupponemus ſanguine repletum, cujus interior ſuperficies ab aculeis ſalinis in maſſâ ſanguineâ Scatentibus titillationem patitur: ſed inter remorandum pruritus ingraveſcit, & dolorificè moleſtat.

Anima ſubinde ſuſcitata, ab hac materia vellicante, Cor liberandum aggreditur. Prurigine jam actione Syſtoles ſedato, materiâque dolorificâ eructatâ, cor redit ad amplitudinem naturalem, iterumque impletur, ſtimulatur, evacuatur, & ſic deinceps in curriculo.

Anima per vices patiens à corde per vices agit in cor; cor patiens viciſſim ab aculeis ſanguinis ſalinis, viciſſim agit in animam. Vel, impreſſio dolorifica à particulis ſalinis cuſa, per Syphunculos nerveos undulat ad originem, ubi anima in ſuppetias proclivis, ſtatim ad ſyſtolen moliendam inſurgit. Cum autem hæc vellicatio cordis ſit leviuſcula & aſſueta animal nullatenùs percipit. Sicuti non ſentimus acria, acida, aut ſalſa edulia in ventriculo, etiamſi ſit apprimè ſenſilis, nihilominùs periſtalſis hiſce excitatur; cor itaque haud minùs quàm ventriculus materiam ſibi infenſam evomit & eructat. Prout autem ſanguinis acrimonia eſt major vel minor; ita cor tardiùs vel celeriùs motitat. Utpotè in ſanguinis diatheſi pituitoſâ (in ſenio, paralyſi, &c.) cor ſegne, pulſus tardus.

In craſi ſpirituoſâ (ut in juventute, ebrietate, eâque potiſſimùm à vino meraciori, & in crapulâ, precipuè ſi aromaticis nimìs indultum ſit) cor valdoperè agitatur, & pulſus fit celerrimus.

In craſi bilioſâ vel acidâ (ut in omnibus febribus) cor ſpiculis extraneis nimiopere lancinatum, crebris validiſque conatibus ſe liberare tentat; unde celer & magnus pulſus in febrium paroxiſmis.

Pro-

Quod propterea ſuadere quodammodo videtur, (ni fallar) cor ex parte ſanguinis poſſe in motum concitari.

X I.

Quod hujus motûs æquabilem tenorem ulteriùs ſpectat, eſt Undulatio ſpirituûm in Syphunculis nerveis ab origine cor verſus. Quæ undulationes ſibi invicèm ſucceſſivè intervallis debitis, ab uno impulſu multoties propagantur, ut videre eſt in undulis aquarum iteratis, ab unico Lapillo excitatis. Hinc corda animalium decollatorum, ab impulſu animæ remoto continuato, diù ſaltare poſſunt. Hîc equidem impulſus non cordi ſoli, ſed omnibus aliis muſculis ipſo decollationis articulo determinatur, & nonnullas artuum convulſiones faceſſit. Porrò ceſſanti omni motu naturali, ſi bacillo nervus pertundatur, motus undulans ad muſculum, in eo convulſionem producit. Ex hiſce liquet, cordis motui emolumentum haud leve ab undulatione ſpirituûm conciliari poſſe.

X I I.

Veruntamen, nec ſpirituûm undulatio, nec ſanguinis acrimonia, ſolæ ad cordis motum perennandum ſufficiunt: his etenim ſolummodò adjuvatur. Sed motus hic primariò à ſpirituûm determinatione jugi, cor verſus, oriundus eſt.

Ideoque de ſpiritibus animalibus & eorundem determinatione paulisper agemus.

X I I I.

De ſpiritibus varii variè propoſuêre; ſed adhuc ſub judice lis eſt. Cum itaque in dubiis quilibet audiendus; debitâ doctioribus ſubmiſſione, quædam rationi conſona adducam.

Spiritus non videntur ex ſale volatili, vel ſanguinis alchool vinoſo conſtitui; horum etenim particulis pungentibus genus nervoſum exaſperetur, & (ut carnes culinares à ſalibus) corrugaretur. Neque ex materiâ ſubtili Carteſianâ; hæc enim nullis limitibus continetur. Sed potiùs ſunt particulæ tenuiſſimæ & lubricæ ex lymphâ depuratâ, calore nativo rarefactæ. Lympha etenim

depu-

depurata leni calore in vaporem ſeceſſit, perinde ac ſal volatile; quare particulæ aqueæ ſunt itidem leviſſimæ & volatiles: ideoque haud precarium erit aſſerere, motum rapidum iiſdem particulis competere.

Lympha quæ cedit in ſpiritûs animales eſt totius corporis depuratiſſima, quoniam ſeparatur è ſanguine floridiſſimo, per plexum choroïdeum, ad glandulam pinealem, cæteraſque plexui intertextas glandulas, tranſmiſſo, quæ Lympham percolant, cellulisque ſuis retinent, donec calore undique incubante, rarefacta, per poros quaquaverſùm plurimis radiis in cerebri cavitatem proſiliat. Quod Conarion fungatur officio glandulæ, liquet ex tartareâ concretione in hâc, perindè ac in aliis glandulis identidem reperta.

X I V.

Cavitas cerebri eſt ſpatium meditullio calloſo circumſcriptum, in cujus ſuperficie internâ omnes Syphunculi nervei terminantur ubi habent oſcula circumcircà in cavitatem aperta. Quemadmodum tubæ hydraulicæ habent ora ſua verſùs cavitatem communem infixa: Dein organiſtâ aërem ad hanc vel illam tubam determinante, talis vel talis ſonus editur. Ita ſpiritibus animalibus in cavitate cerebri ad hæc vel illa nervulorum oſcula determinatis; hic vel ille muſculus movetur.

Muſculus enim quiſque habet ſuos Syphunculos ejus motui appropiatos, qui integri & diſtincti à parte movendâ ad cavitatem cerebri uſque continuantur.

Spiritibus etiam in plures nervulos ſimul & ſemel impulſis, plures muſculi ſimul & ſemel moventur. Prout etiam ſpiritus fortiùs vel leviùs in oſcula ſyphunculorum incidunt, eò muſculi intenſiùs vel remiſſius actuantur.

Sed unde ſpirituûm incidentia & determinatio cor verſùs, jam penſandum eſt.

XV.

Particulæ vaporoſæ è poris Conarii in cavitatem cerebri radiatæ, à ſuperficie concavâ undique in focum ſeu centrum determinantur. Haud minùs quàm in conclave quodam Muſices gratiâ,

ad

ad formam ovi interiorem [illegible]; ubi ([illegible] [illegible]positis) aer modulatus, undique ad focum reverberatur; eo-que loci auditores maximopere delectantur. Qui focus, ſeu ſonorum concentratio ſit ſemper in eodem loco, modò ſoni ab uno & eodem emittantur. Conarion itidem radians ſemper ab uno loco; ad locum jugitèr unum, focum ſuum determinat. Quinetiàm ubi radii ſpirituûm concentrantur, impulſum ibidèm validiorem proculdubio efficiunt: unde ſyphunculi nervei ſub focum continuò inflantur. Jam ſi nervi ſextæ conjugationis ab hoc loco originentur; tum cor, diaphragma, & inteſtina quibus hoc par nervorum communicatur, neceſſariò agunt; & tam diù operantur, quàm diù calor nativus, Lympham rarefacit vaporeſque emittit. Quapropter radiatio hæc naturalis à voluntate haud quaquàm dependet. Sed æquè impoſſibile eſt voluntatem hanc radiationem perturbare ac calorem nativum extinguere, vel diſſolutionem individui imperare: Nervuli verò omnes alii qui à foco diſtant, voluntatis nutui obſequiè præſtolantur.

X V I.

Jam demùm perpendamus, quo pacto, tres hæ cauſæ (ſc. *Pravitatio* à ſanguine) *Spirituum Undulatio*, & *Naturalis Determinatio*,) mutuâ dependentiâ ad motum cordis procudendum, ſibi invicèm ancillantur.

In fœtu itaque ſpiritus animales quàm primùm generati, ad focum, in cordis ſyphunculos determinantur: Dein vellicatio cordis, in diaſtolè, motum ſpiritibus in ſyphunculis, parte inferiore, excitat; qui motus ad oſcula ſuperiora undulat; ubi focus, ſeu radiationes naturales unitæ, hiſce undulis occurrunt & repellunt: quare undulæ ad cor iterum refluentes ſyſtolen efficiunt.

F I N I S.

ad [illegible] ovi interloquent [illegible]; ubi ([illegible] diſpoſitis) aer modulatus, undique ad focum reverberatur; eo-que loci auditores maximopere delectantur. Qui focus, ſeu ſonorum concentratio fit ſemper in eodem loco, modò ſoni ab uno & eodem emittantur. Conarion itidem radians ſemper ab uno loco; ad locum jugitèr unum, focum ſuum determinat. Quinetiam ubi radii ſpirituûm concentrantur, impulſum ibidèm validiorem proculdubio efficiunt: unde ſyphunculi nervei ſub focum continuò inflantur. Jam ſi nervi ſextæ conjugationis ab hoc loco originentur; tum cor, diaphragma, & inteſtina quibus hoc par nervorum communicatur, neceſſariò agunt; & tam diù operantur, quàm diù calor nativus, Lympham rarefacit vaporeſque emittit. Quapropter radiatio hæc naturalis à voluntate haud quaquàm dependet. Sed æquè impoſſibile eſt voluntatem hanc radiationem perturbare ac calorem nativum extinguere, vel diſſolutionem individui imperare: Nervuli verò omnes alii qui à foco diſtant, voluntatis nutui obſequiè præſtolantur.

XVI.

Jam demùm perpendamus, quo pacto, tres hæ cauſæ (ſc. *Pravitatis* à ſanguine) *Spirituum Undulatio*, & *Naturalis Determinatio*,) mutuâ dependentiâ ad motum cordis procudendum, ſibi invicèm ancillantur.

In fœtu itaque ſpiritus animales quàm primùm generati, ad focum, in cordis ſyphunculos determinantur: Dein vellicatio cordis, in diaſtole, motum ſpiritibus in ſyphunculis, parte inferiore, excitat; qui motus ad oſcula ſuperiora undulat; ubi focus, ſeu radiationes naturales unitæ, hiſce undulis occurrunt & repellunt: quare undulæ ad cor iterum refluentes ſyſtolen efficiunt.

F I N I S.